

Omnes sanctæ Virgines & Viduæ,
Orate pro nobis.
Omnes Sancti & Sanctæ Dei, Intercedite pro nobis.
Propitius esto, Parce nobis Dómine.
Propitius esto, Exaudi nos Dómine.
Ab omni malo, Libera nos Dómine.
Ab omni peccato, libera.
Ab ira tua, libera.
A subitanea & improvisa morte, libera nos Dómine.
Ab insidiis diaboli, libera.
Ab ira, & ódio, & omni mala voluntate, libera.
A spiritu fornicationis, libera.
A fulgure & tempestate, libera.
A morte perpétua, libera.
Per mysterium sanctæ Incarnationis tuæ, libera.
Per adventum tuum, libera.
Per nativitatem tuam, libera.
Per baptismum, & sanctum jejunium tuum, libera.
Per crucem & passionem tuam, libera nos Dómine.
Per mortem & sepulturam tuam, libera nos Dómine.
Per sanctam resurrectionem tuam, libera nos Dómine.
Per admirabilem ascensionem tuam, libera nos Dómine.
Per adventum Spiritus sancti Parácliti, libera.
In die iudicii, libera.
Peccatores, Te rogámus audi nos.
Ut nobis parcas, te rogámus.
Ut nobis indulgeas, te rogámus.
Ut ad veram poenitentiam nos perducere digneris, te rogámus.
Ut Ecclesiám tuam sanctam regere & conservare digneris, te rogámus audi nos.
Ut domnum Apostolicum & omnes Ecclesiásticos ordines in sancta religione conservare digneris, te rogámus audi nos.
Ut inimicos sanctæ Ecclesiæ humiliare digneris, te rogámus.

Ut Régibus & Principibus Christianis pacem & veram concordiam donare digneris, te rogámus audi nos.
Ut cuncto populo Christiano pacem & unitatem largiri digneris, te rogámus audi nos.
Ut nosmetipsos in tuo sancto servitio confortare & conservare digneris, te rogámus.
Ut mentes nostras ad celsésia desideria erigas, te rogámus.
Ut omnibus benefactoribus nostris sempiterna bono retribuas, te rogámus audi nos.
Ut animas nostras, fratrum, propinquorum, & benefactorum nostrorum ab aeterna damnatione eripias, te rogámus audi nos.
Ut fructus terræ dare & conservare digneris, te rogámus.
Ut omnibus fidelibus defunctis requiem aeternam donare digneris, te rogámus audi nos.
Ut nos exaudire digneris, te rogámus audi nos.

Fili Dei, te rogámus audi nos.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.
Christe audi nos. Christe exaudi nos. Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster.
Secretó ¶. Et ne nos inducas in tentationem. **R.** Sed libera nos a malo.

Psalmus 69.

DEus in adiutorium meum intendente: * Dómine ad adiuvandum me festina.
Confundantur, & reverentur, * qui querunt animam meam:
Avertant retrorsum, & erubescant, * qui volunt mihi mala:
Avertantur statim erubescentes, * qui

qui dicunt mihi: Euge, euge.
Exultent & letentur in te omnes qui querunt te, * & dicant semper: Magnificetur Dóminus, qui diligit salutare tuum.
Ego verò egénus & pauper sum: * Deus adjuva me.

Adjutor meus, & liberator meus es tu: * Dómine ne moreris.
Gloria Patri. Sicut erat.

¶. Salvo fac servos tuos. **R.** Deus meus sperantes in te. **Y.** Esto nobis Dómine turris fortitudinis. **SA** facie inimici. **Y.** Nihil proficiat inimicus in nobis. **R.** Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

¶. Dómine non secundum peccata nostra facias nobis. **R.** Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis. **Y.** Oremus pro Pontifice nostro. **N.** **R.** Dóminus conservet eum, & vivificet eum, & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in animam inimicorum eius.

¶. Oremus pro benefactoribus nostris. **R.** Retribuere dignare Dómine omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam aeternam. Amen. **Y.** Oremus pro fidelibus defunctis. **R.** Requiem aeternam dona eis Dómine, & lux perpétua luceat eis. **Y.** Requiescant in pace. **R.** Amen. **Y.** Pro fratribus nostris abséntibus. **R.** Salvo fac servos tuos, Deus meus sperantes in te. **Y.** Mitte eis Dómine auxilium de sancto. **R.** Et de Sion tuere eos. **Y.** Dómine exaudi orationem meam. **R.** Et clamor meus ad te veniat. **Y.** Dóminus vobiscum. **R.** Et cum spiritu tuo.
Oremus.

Oratio.

DEus, cui proprium est misereri semper, & parcere: suscipe deprecationem nostram; ut nos, & omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absolvat.

EXaudi, quæsumus Dómine, supplicium preces, & confidentium tibi parce peccatis: ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus & pacem.

Ineffabilem nobis, Dómine, misericordiam tuam clementer ostende: ut simul nos & a peccatis omnibus exuas; & a penis, quas pro his meremur, eripias.

DEus, qui culpa offenderis, poenitentia placaris: preces populi tui supplicantis propitius respice, & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur, averte.

Omnipotens sempiternus Deus, miserere famulo tuo Pontifici nostro **N.** & dirige eum secundum tuam clementiam in viam salutis aeternæ; & ut donante tibi placita cupiat, & tota virtute perficiat.

DEus, à quo sancta desideria, recta consilia, & justa sunt opera: da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem; ut & corda nostra mandatis tuis dedita, & hostium sublatâ formidine, tempora sint tuâ protectione tranquilla.

URe igne sancti Spiritus renes nostros, & cor nostrum, Dómine: ut tibi casto corpore serviamus, & mundo corde placeamus.

Fidelium Deus ómium Conditor & Redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum: ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur.

Actiones nostras, quæsumus Dómine, aspirando preveni, & adjuvando proséquere: ut cuncta nostra oratio, & operatio: te emper incipiat, & per te cepta finiatur.

Omnipotens sempiternè Deus, qui vivorum dominaris simul & mortuorum, omniumque miseris, quos tuos fide & opere futuros esse pronoscis te supplices exorârâs; ut pro quibus effundere precens decrevimus, quosque vel præsens sæculum adhuc in carne retinet, vel futurum jam exitus corpore suscepit, intercedentibus omnibus Sanctis tuis, pietatis tue clementiâ, omnium delictuorum suorum veniam consequantur. Per Dominum nostrum.

V. Dominus vobiscum. **R.** Et cum spiritu tuo. **V.** Exaudiat nos omnipotens & misericors Dominus. **R.** Amen. **V.** Et fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. **R.** Amen.

Ordo Commendationis animæ.
Primum dicuntur Litanie breves in hunc modum.

Kyrie elíson. Christe elíson. Kyrie elíson.

Sancta María, **Ora pro eo.**
Omnes sancti Angeli & Archangeli, **Ora pro eo.**

Sanctæ Abel, **Ora.**

Omnis chorus justorum, **ora.**

Sanctæ Abraham, **ora.**

Sanctæ Joannes Baptista, **ora.**

Sanctæ Joseph, **ora.**

Omnes sancti Patriarchæ & Prophætæ, **Ora.**

Sanctæ Petre, **Ora.**

Sanctæ Paule, **ora.**

Sanctæ Andréæ, **ora.**

Sanctæ Joannes, **ora.**

Omnes sancti Apóstoli & Evangelistæ, **Ora.**

Omnes sancti Discipuli Domini, **ora pro eo.**

Omnes sancti Innocentes, **ora.**

Sanctæ Stéphane, **ora.**

Sanctæ Laurénti, **ora.**

Omnes sancti Mártýres, **Ora.**

Sanctæ Sylvéster, **ora.**

Sanctæ Gregóri, **ora.**

Sanctæ Augustine, **ora.**

Omnes sancti Pontifices & Confessores, **Ora.**

Sanctæ Benedicte, **ora.**

Sanctæ Francisce, **Ora.**

Omnes sancti Mónachi & Eremitæ, **Ora.**

Sanctæ Mariæ Magdaléna, **ora.**

Sanctæ Lúcia, **ora.**

Omnes sanctæ Virgines & Viduæ, **Ora pro eo.**

Omnes Sancti & Sanctæ Dei, **Intercédite pro eo.**

Propitius esto, Parce ei Dómine. Propitius esto, Libera eum Dómine.

Propitius esto, libera. Ab ira tua, libera.

A periculo mortis, libera. A mala morte, libera.

A penis inférni, libera. Ab omni malo, libera.

A potestate diaboli, libera. Per nativitéam tuam, libera.

Per crucem & passióem tuam, libera eum Dómine.

Per mortem & sepultúram tuam, libera eum Dómine.

Per gloriosam resurrectiõem tuam, libera eum Dómine.

Per admirabilem ascensionem tuam, libera eum Dómine.

Per grátiam Spiritus sancti Parácliti, libera eum Dómine.

In die iudicii, libera. Peccatóres, Te rogámus audi nos.

Ut ei parcás, te rogámus. Kyrie elíson. Christe elíson. Kyrie elíson.

Deindè cum in agóne sui exitus anima anxietur, dicantur sequentes Orações.

Oraçio.

Proficiscere anima Christiána de hoc mundo, in nómine Dei Patris omnipotentis, qui te creavit: in nómine Jesu Christi filii Dei vivi, qui pro te passus est: in nómine Spi-

ri-

ra-

ra-

ritus sancti, qui in te effusus est: in nómine Angelórum & Archangelórum: in nómine Thronórum & Dominatiónum: in nómine Principatuum & Potestátum: in nómine Chérubim & Séraphim: in nómine Patriarchárum & Prophetárum: in nómine sanctorum Apostolorum & Evangelistarum: in nómine sanctorum Mártýrum & Confessorum: in nómine sanctorum Monachorum & Eremitarum: in nómine sanctorum Virginum, & ómnium Sanctorum & Sanctarum Dei: hódie sit in pace locus tuus, & habitatio tua in sancta Sioa. Per eundem Christum Dóminum nostrum. **R.** Amen.

Oraçio.

Deus misericors, Deus clemens, Deus, qui secundum multitudinem miserationum tuarum peccatum poenitentium deles, & præteritorum criminum culpas veniâ remissionis evâcuas: respice propitius super hunc famulum tuum **N.** & remissionem omnium peccatorum suorum totâ cordis confessione poscentem deprecatus exaudi. Rénova in eo, piissime Pater, quidquid terrenâ fragilitate corruptum, vel quidquid diabólicâ fraude violatum est: & unitati corporis Ecclesiæ membrum redemptionis annecte. Miserere Dómine gemituum, miserere lacrymarum ejus: & non habentem fiduciam, nisi in tua misericordia, ad tuæ sacramentum reconciliatiónis admitte. Per Christum Dóminum nostrum. **R.** Amen.

Commendo te omnipotenti Deo, charissime frater, & ei, cujus es creatura, committo: ut, cum humanitatis debitum morte interveniente persolveris, ad auctorem tuum, qui de te limo terræ formaverat, revertaris. Egrediénti itaque animæ tuæ de corpore splendidi Angelórum cætus occurrat: iudex

Pars festiva.

Apostolorum tibi senatus adveniat: candidatorum tibi Martyrum triumphantior exercitus obviet: liliata rutilantium te Confessorum turba circumdet: jubilantium te Virginum chorus excipiat: & beatæ quietis in sinu Patriarcharum te complexus astringat: mitis atque festivus Christi Jesu tibi aspectus appareat, qui te inter assistentes sibi iugiter interesse decernat. Ignore omne quod horret in tenebris, quod stridet in flammis, quod cruciat in tormentis. Cedit tibi teretrimus satanas cum satellitibus suis: in adventu tuo te commitantibus Angelis contremiscat, atque in æternæ noctis chaos immane diffugiat. Exurgat Deus, & dispendentur inimici ejus: & fiant, qui odérunt eum, a facie ejus. Sicut deficit fumus, deficiat: sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatóres à facie Dei: & justi epulentur, & exultent in conspectu Dei. Confundantur igitur & erubescant omnes tartaræ legiones, & ministri satanæ iter tuum impedire non audeant. Libere te à cruciatu Christus, qui pro te crucifixus est. Libere te ab æterna morte Christus, qui pro te mori dignatus est. Constituat te Christus Filius Dei vivi intra paradisi sui semper amena vîrentia, & inter oves suas te verus ille Pastor agnoscat. Ille ab omnibus peccatis tuis te absolvat, atque ad dexteram suam in electorum suorum te sorte constituat. Redemptorem tuum facie ad faciem videas, & præsens semper assistens, manifestissimam beatis oculis aspicias veritatem. Constitutus igitur inter ægmina Beatorum, contemplationis divinæ dulcedine potiarius in sæcula sæculorum. **R.** Amen.

Oraçio.

Uscipe Dómine servum tuum in locum sperandæ sibi salutiõnis à misericordia tua. **R.** Amen.

Nⁿ

Lí

Libera Dómine animam servi tui, ex ómnibus periculis inférni, & de láqueis pœnarum, & ex ómnibus tribulatióibus. **R.** Amen.

Libera Dómine animam servi tui, sicut liberásti Henoch & Ellam de communi morte mundi. **R.** Amen.

Libera Dómine animam servi tui, sicut liberásti Noë de dilúvio. **R.** Amen.

Libera Dómine animam servi tui, sicut liberásti Abraham de Ur Chaldæórum. **R.** Amen.

Libera Dómine animam servi tui, sicut liberásti Job de passióibus suis. **R.** Amen.

Libera Dómine animam servi tui, sicut liberásti Isaac de hostia, & de manu patris sui Abrahæ. **R.** Amen.

Libera Dómine animam servi tui, sicut liberásti Lot de Sódomis, & de flamma ignis. **R.** Amen.

Libera Dómine animam servi tui, sicut liberásti Móysen de manu Pharaónis regis Ægyptiórum. **R.** Amen.

Libera Dómine animam servi tui, sicut liberásti Daniélem de lacu leónum. **R.** Amen.

Libera Dómine animam servi tui, sicut liberásti tres púeros de camino ignis ardéntis, & de manu regis iniqui. **R.** Amen.

Libera Dómine animam servi tui, sicut liberásti Susánnam de falso crimine. **R.** Amen.

Libera Dómine animam servi tui, sicut liberásti David de manu regis Saúl, & de manu Goliæ. **R.** Amen.

Libera Dómine animam servi tui, sicut liberásti Petrum & Paulum de carcéribus. **R.** Amen.

Etsicut beatíssimam Theclam Virgínam & Martyrem tuam de tribus atrocissimis tormentis liberásti, sic liberáre dignéris animam hujus servi tui, & tecum faciás in bonis con-gaudére cœlestibus. **R.** Amen.

Oratio.

Commendámus tibi Dómine animam famuli tui **N.** precamúrque te Dómine Jesu Christe Salvátor mundi, ut propter quam ad terram misericórditer descendisti, Patriarchárum tuórum sinibus insinuáre non rénuas. Agnósce Dómine creatúram tuam, non á diis aliénis creátam, sed á te solo Deo vivo & vero: quia non est álius Deus præter te, & non est secúndum ópera tua. Lætifica Dómine animam ejus in conspéctu tuo, & ne memineris iniquitátum ejus antiquárum, & ebriétatum, quas suscitávit furor sive fervor malidésidérii. Licet enim peccaverit, tamen Patrem, & Filium, & Spíritum sanctum non negávit, sed crédidit, & zelum Dei in se hábuit, & Deum, qui fecit ómnia, fidéliter adorávit.

Oratio.

Delicta juventútis, & ignorántias ejus, quæsumus, ne memineris Dómine: sed secúndum magnam misericórdiam tuam memor esto illius in glória claritátis tuæ. Aperiantur ei cœli, colleténtur illi Angeli. In regnum tuum Dómine servum tuum suscipe. Suscipiat eum Sanctus Michaél Archángelus Dei, qui militat cœlestis méruit principatum. Véniant illi óbviam sancti Angeli Dei, & perdúcant eum in civitátem cœlestem Jerusalem. Suscipiat eum beátus Petrus Apóstolus, cui á Deo claves regni cœlestis tráditæ sunt. Adjuvet eum Sanctus Paulus Apóstolus, qui dignus fuit esse vas electiõnis. Interecédat pro eo Sanctus Joánes eléctus Dei Apóstolus, cui revelata sunt secréta cœlestia. Orent pro eo omnes sancti Apóstoli, quibus á Dó-

Dó-

BENEDICTIO MENSÆ.

Ante prandium Sacerdos benedicturus mensam incipit Benedicite, & alii repetunt, Benedicite. Deinde dicit **V.** Oculi ómnium. & alii proseguunt, In te sperant, Dómine, & tu das escam illórum in tempore opportuno. Aperis tuam manum tuam, & implet omne animal benedictiõne. Glória Patri. Sicut erat. Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster. Secretò **V.** Et ne nos indúcas in tentatiõnem. **R.** Sed libera nos á malo.

Posteá Sacerdos dicit: Orémus.

Benedic Dómine nos, & hæc tua dona, quæ de tua largitáte sumus sumpturi. Per Christum Dóminum nostrum. **R.** Amen.

Deinde Lector. Jube domne benedicere. Benedictio, Mensæ cœlestis participes faciat nos Rex æternæ glóriæ. **R.** Amen.

Post prandium aguntur gratiæ hoc modo. Dico á Lectore Tu autem Dómine miserere nobis. **R.** Deo grátias. Omnes surgunt.

Sacerdos incipit **V.** Confiteantur tibi Dómine ómnia ópera tua. **R.** Et Sancti tui benedicant tibi. **V.** Glória Patri, & Filio. **R.** Sicut erat.

Posteá Sacerdos absolutè dicat:

Agimus tibi grátias omnipotens Deus pro univérsis beneficiis tuis: qui vivis & regnas in sæcula sæculórum. **R.** Amen.

Deinde alternatim dicitur Psalmus Miserere. 42.

Vel Psalmus 116.

Laudáte Dóminum omnes Gen-tes; & laudáte eum omnes pópuli:

Nnn 2

Quó-

Dómino data est potéstas ligandi atque solvéndi. Interecédat pro eo omnes Sancti & elécti Dei, qui pro Christi nómine tormenta in hoc sæculo sustinuerunt: ut vinculis carnis exútis, pervenire mereátur ad glóriam regni cœlestis, præstante Dómino nostro Jesu Christo: Qui cum Patre & Spíritu sancto vivit & regnat in sæcula sæculórum. **R.** Amen.

Si anxiatúr adhuc anima, dicuntur hi Psalmi, videlicet Confitémini Dómino quóniam bonus, 17. & totus Psalmus Beáti immaculáti per Horas distributus. 18.

Egressa autem anima, dicitur hoc **R.** Subvenite Sancti Dei, occurrite Angeli Dómini: * Suscipientes animam ejus: * Offerentes eam in conspéctu Altissimi. **V.** Suscipiat te Christus qui vocávit te, & in sinum Abrahæ Angeli dedicant te. Suscipientes. **V.** Réquiem ætérnam dona ei Dómine: & lux perpétua luceat ei. Offerentes.

Deinde Kyrie eléison, Christe eléison. Kyrie eléison.

Posteá, Pater noster. Secretò **V.** Et ne nos indúcas in tentatiõnem. **R.** Sed libera nos á malo. **V.** Réquiem ætérnam dona ei Dómine. **R.** Et lux perpétua luceat ei. **V.** A porta inferi. **R.** Erue Dómine animam ejus. **V.** Réquiescat in pace. **R.** Amen. **V.** Dómine exáudi oratiõnem meam. **R.** Et clamor meus ad te véniat. **V.** Dóminus vobiscum. **R.** Et cum spiritu tuo.

Orémus.

Tibi Dómine commendámus animam famuli tui **N.** ut defunctus sæculo, tibi vivat: & quæ per fragilitátem humanæ conversatiõnis peccata commisit, tu vénia misericórdissimæ pietátis abstérge. Per Christum. **R.** Amen.

Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus: * & veritas Domini manet in æternum.

Gloria Patri. Sicut erat.
Kyrie eleison. Christe eleison.
Kyrie eleison. **Sacerdos dicit** Pater noster. **V.** Et ne nos inducas in tentationem. **R.** Sed libera nos à malo. **V.** Dispèrsit, dedit pauperibus. **R.** Justitia ejus manet in seculum sæculi. **V.** Benedicam Dominum in omni tempore. **R.** Semper laus ejus in ore meo. **V.** In Domino laudabitur anima mea. **R.** Audiant mansueti, & lætèntur. **V.** Magnificatè Dominum mecum. **R.** Et exaltèmus nomen ejus in idipsum. **V.** Sit nomen Domini benedictum. **R.** Ex hoc nunc & usque in seculum.

Deindè sine Orémus.

R Etribuere dignare Domine omnibus nobis bona facièntibus propter nomen tuum, vitam æternam. **R.** Amen.
V. Benedicamus Domino. **R.** Deo gratias. **V.** Fidélium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. **R.** Amen. Pater noster. **Secretò.**

Quo finito, ciet **Sacerdos**: Deus det nobis suam pacem. **R.** Amen.

Ante cenam **Sacerdos** benedicetur mensam incipit Benedicite, & alii repetunt Benedicite.

Deindè **Sacerdos** incipit **V.** & alii prosequuntur.

E Dent pauperes, & saturabuntur, & laudabunt Dominum, qui requirunt eum: vivent corda eorum in seculum sæculi.
Gloria Patri. Sicut erat. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. **Secretò.** Et ne nos, Orémus. **Benedic** Domine, **ut su-**

pra in prandio. clxxxv. Jube domne. **Benedictio.** Ad cenam vitæ æternæ perducit nos Rex æternæ gloriæ.

R. Amen.
In fine cenæ dicitur V. Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus: escam dedit timèntibus se.

Gloria Patri.
Sicut erat.

Sacerdos dicat,

Benedictus Deus in donis suis, & sanctus in omnibus operibus suis: Qui vivit & regnat in secula seculorum. **R.** Amen.

Deindè alternatim dicitur **Psalmus** Laudate Dominum omnes Genes, & reliqua ut supra.
Quando semel comeditur, omnia dicantur ut in cœna.

Prædictus modus benedicendi mensam, & agenti gratias, servatur omni tempore hujus Partis **Activæ.**

ITINERARIUM.

Clericus in ipso itineris ingressu, si solus fuerit, dicat quæ sequuntur in singulari, si cum sociis, in plurali.

Antiphona. In viam pacis.

Canticum Zachariæ.

Luce 1. g

Benedictus Dominus Deus Israel, * quia visitavit, & fecit redemptionem plebis suæ:

Et erexit cornu salutis nobis, * in domo David pueri sui.
Sicut locutus est per os sanctorum, * qui à sæculo sunt prophetarum ejus:

Salutem ex inimicis nostris, * & de manu omnium qui oderunt nos:

Ad

Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris: * & memorari testamenti sui sancti.

Jurandum, quod juravit ad Abraham patrem nostrum, * datum se nobis:

Ut sinè timore, de manu inimicorum nostrorum liberati, * serviàmus illi.

In sanctitate & justitia coram ipso, * omnibus diebus nostris.

Et tu puer, Propheta Altissimi vocaberis: * præbis enim ante faciem Domini parare vias ejus:

Ad dandam scientiam salutis plebi ejus, * in remissionem peccatorum eorum:

Per viscera misericordiae Dei nostri: * in quibus visitavit nos, oriens ex alto:

Illuminare his, qui in tenebris, & in umbra mortis sedent: * ad dirigèdos pedes nostros in viam pacis.

Gloria Patri, & Filio.

Antiphona. In viam pacis & prosperitatis dirigat nos omnipotens & misericors Dominus: & Angelus Raphaël comitetur nobiscum in via, ut cum pace, salute, & gaudio revertamur ad propria. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. **Secretò V.** Et ne nos inducas in tentationem.

R. Sed libera nos à malo. **V.** Salvos fac servos tuos. **R.** Deus meus sperantes in te. **V.** Mitte nobis Domine auxilium de sancto. **R.** Et de Sion tuere nos. **V.** Esto nobis Domine turris fortitudinis. **R.** A facie inimici. **V.** Nihil proficiat inimicus in nobis. **R.** Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis. **V.** Benedictus Dominus die quotidie. **R.** Prosuperum iter faciat nobis Deus salutarium nostrorum. **V.** Vias tuas Domine demonstra nobis. **R.** Et semitas tuas edoce nos. **V.** Utinam dirigantur viæ nostræ. **R.** Ad custo-

diendas justificationes tuas. **V.** Erunt prava in directa. **R.** Et aspera in vias planas. **V.** Angelis suis Deus mandavit de te. **R.** Ut custodiant te in omnibus viis tuis. **V.** Domine exaudi orationem meam. **R.** Et clamor meus ad te veniat. **V.** Dominus vobiscum. **R.** Et cum spiritu tuo.

Orémus.

Oratio.

Deus, qui filios Israel per maris medium sicco vestigio ire fecisti, quique tribus Magis iter ad te stella duce pandisti: tribue nobis quæsumus iter prosperum, tempus quo tranquillum; ut, Angelo tuo sancto comite, ad eum quo pergitur locum, ac demum ad æternæ salutis portum pervenire feliciter valeamus.

Deus, qui Abraham puerum tuum de Ur Chaldaeorum eductum, per omnes suæ peregrinationis vias illasum custodisti, quæsumus, ut nos famulos tuos custodire digneris: esto nobis Domine in prociectu suffragium, in via solatium, in astu umbra, in pluvia & frigore tegumentum, in lassitudine vehiculum, in adversitate praesidium, in lubrico baculus, in naufragio portus; ut te duce, quo tendimus, prosperè perveniamus, & demum incolumes ad propria redeamus.

Ad esto, quæsumus Domine, supplicationibus nostris, & viam famulorum tuorum in salutis tuæ prosperitate dispone; ut inter omnes viæ & vite hujus varietates tuo semper protegámur auxilio.

PResta, quæsumus omnipotens Deus; ut familia tua per viam

salutis incedat, & beati Joannis Præ-
cursoris hortamenta sectando, ad
eum quem prædixit, secura pervé-
niat, Dóminum nostrum Jesum
Christum Filium tuum: Qui tecum

vivit & regnat in unitate Spiritus
sancti Deus, per omnia sæcula sæ-
culórum. *R.* Amen.
V. Procedámus in pace.
R. In nómine Dómini, Amen.

[Faint, mostly illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]

TYPOGRAPHUS LECTORI.

Cum subsequencia Officia, à Summis Pontificibus ordinata, Eccle-
siam universalem non obligent, utpote in certis quibusdam Reg-
nis & Provinciis, ex indulto eorundem recitanda; hic in fine, extra
aliorum ordinem, pro majori recitantium commoditate, eadem addenda
putavi.

Sed pro Hispanorum præcipue commoditate ea, quæ in Hispania
generaliter recitantur, in Proprio Festorum Hispanorum ponentur jux-
ta Ordinem & Rituum quo celebrantur.

DIE V. MAIL.

Vel alia die.
Festum Coronæ Domini.
Duplex majus.
Ejus Officium appositum est in
parte Hyem. & Verna. exciv.

DIE XVI. MAIL.

In Festo Sancti Joannis Nepomuceni
Martyris.
Pro Regnis Bohemiæ & Germa-
niæ. Duplex ij. classis.
Pro Statibus vero hæreditariis Sa-
cræ Cæsareæ Majestatis. Duplex.
Omnia ut in Proprio Festorum
Hispanorum.

DIE IV. JUNII.

In Festo B. Francisci Caracciolo
Confessoris.
Et Congregationis Cleric. Regular.
Minorum Fundatoris pro Cleric.
Regular. Minor.
Duplex secundæ Classis.
Pro aliis, de quibus in Brevi Bea-
tificationis. Duplex minus.
Ejus Officium appositum est in
parte Hyem. & Verna. cc.

DIE IX. JULII.

In Festo beatorum Martyrum
Gorcemiensium.
Duplex.
Pro universo Clero Sæculari in
Partibus Belgii.
Omnia de Communi plurimorum
Martyrum primo loco. xxx.
Oratio. Deus, qui nos concedis.

DOMINICA PRIMA

Septembris.
In Festo Sancti Angeli Custodis.
Duplex ij. Classis.
Pro omnibus Provinciis ac Ditio-
nibus, tam hæreditariis quam aliis,
Augustissimo Romanorum Impera-
tori, ut Romanorum Casari, Hun-
gariz, ac Bohemiæ Regi subiectis.
Officium fit ut in Brevariario, die
ij. Octobris, cum ix. Lectione Dom-
inicæ occurrentis; cujus fit Comm.
in Laudib. & utrisque Vesp.

FERIA SECUNDA.

Infra Octavam Sancti Angeli
Custodis.
Officium per Octavam dicitur ut
in die Festi.
In primo Nocturno, Lectiones de
Scriptura occurrente, nimirum ex
Dominica prima Septembris, quia
heri non sunt lectæ.
In secundo Nocturno.
Sermo Sancti Augustini Episcopi.
Lib. 11. de Civit. cap. 31.
Lectio iv.

Sancti Angeli, ad quorum socie-
tatem & congregationem in hac
peregrinatione laboriosissima suspi-
râmus, sicut habent permanendi
æternitatem; ita cognoscendi faci-
lilitatem, & requiescendi felicitatem;
sinè difficultate quippe nos adju-
vant, quoniam spiritualibus motibus
puris & liberis non laborant.
R. Vivit ipse Dóminus, * Quo-
niam custodivit me Angelus ejus, &
Nnn 4 hinc

hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc revertentem. **V.** Et non permisit me Dominus ancillam suam coinquinari. Quoniam custodivit.

Idem ibidem cap. 33.

Lectio v.

Nos duas societates Angelicas intelligimus: unam fruentem Deo, alteram tumementem typho. Unam, cui dicitur: Adorate eum omnes Angeli ejus: aliam, cujus princeps dicit: Hæc omnia dabo tibi, si prostratus adoraveris me. Unam sancto Dei amore flagrantem: alteram propria celsitudinis immundo amore fumantem. Et quoniam, sicut scriptum est, Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam; illam in caelis habitantem, istam inde dejectam, in hoc infimo aëreo cælo tumultuantem.

R. Angelus Domini descendit cum Azaria & sociis ejus in fornacem, & excussit flammam ignis de fornace:

* Et non tetigit eos omnino ignis, neque contristavit. **V.** Benedictus Deus eorum, qui misit Angelum suum, & eruit servos suos qui crediderunt in eum. Et non tetigit.

Idem ibidem.

Lectio vi.

Illam luminosa pietate tranquillam, istam tenebrosam cupiditatibus turbulentam. Illam, Dei nutu, clementer subvenientem, justè ulciscientem; istam suo fastu subdendi & nocendi libidine æstantem. Illam, ut quantum vult consulat, Dei bonitatis ministram; istam, ne quantum vult noceat, Dei potestate frænata. Illam huic illudentem, ut nò lens prosit persecutoribus suis; hanc illi invidentem, cum peregrinos colligit suos.

R. In omni tribulatione eorum non est tribulatus. * Et Angelus faciei ejus salvavit eos. **V.** In dilectione sua, & indulgentia sua ipse redemit

eos, & elevavit eos cunctis diebus sæculi. Et Angelus faciei. Gloria Patri. Et Angelus.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij.

Cap. 18.

In illo tempore: Accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes: Quis putas, major est in regno cælorum? Et reliqua.

Homilia Sancti Hieronymi Presbyteri.

Lib. 3. Comment. in Matth. cap. 18.

Post inventum statèrem, post tributa reddita, quid sibi vult Apostolorum repentina interrogatio, Quis putas, major est in regno cælorum? Quia viderant pro Petro & Domino idem tributum reddidit, ex æqualitate pretii arbitrati sunt Petrum omnibus Apostolis esse prælatum, qui in redditione tributii Domino fuerat comparatus: ideò interrogant, quis major sit in regno cælorum. Vidensque Jesus cogitationes eorum, & causas erroris intelligens, vult desiderium gloriæ, humilitatis contentione sanare.

R. Machabæus, & qui cum eo erant, cognoverunt expugnari præsidia: * Cum fletu & lacrymis rogabant Dominum, & omnis turba simul, ut bonum Angelum mitteret ad salutem Israël. **V.** Cum pariter prompto animo procederent Jerosolymis, apparuit præcedens eos aquas in veste candida. Cum fletu. **Benedictio.** Quorum festum colimus.

Lectio viij.

Si autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te, absconde eum, & projice abs te. Necesse est quidem venire scandala: vae tamen ei est homini, qui quod necesse est ut fiat in mundo, vitio suo facit ut per se fiat. Igitur omnis truncatur

af-

affectus, & universa propinquitas amputatur, ne per occasionem pietatis unusquisque credentium scandalis pateat. Si, inquit, ita est: quis tibi conjunctus, ut manus, pes, oculus, & est utilis atque sollicitus, & acutus ad perspicendum: scandalum autem tibi facit, & propter dissonantiam morum te pertrahit in gehennam: melius est ut & propinquitate ejus, & emolumentis carnalibus careas, ne dum vis lucrifacere cognatos & necessarios, causam habes ruinarum.

R. Tu Domine, qui misisti Angelum tuum sub Ezechia rege Juda, & interfecisti de castris Sennacherib centum octoginta quinque milia: * Et nunc Dominator cælorum mitte Angelum tuum bonum ante nos, in timore & tremore magnitudinis brachii tui. **V.** Ut metuant qui cum blasphemia veniunt adversus sanctum populum tuum. Et nunc. Gloria Patri. Et nunc.

Lectio ix.

Dico enim vobis, quia Angeli eorum semper vident faciem Patris mei. Suprà dixerat, per manum & pedem & oculum, omnes propinquitates & necessitudines, quæ scandalum facere poterant, amputandas: austeritatem itaque sententia subjecto præcepto temperat, dicens: Videte, ne contemnatis unum ex pusillis istis. Sic, inquit præcepto commiseri clementiam doceam; quia Angeli eorum in caelis vident semper faciem Patris. Magna dignitas animarum, ut unaqueque habeat ob ortu nativitatis in custodiam sui Angelum delegatum. Undè legimus in Apocalypsi Joannis: Angelo Ephesi, & reliquarum Ecclesiarum, scribe hæc. Apostolus quoque præcipit velari

capita in Ecclesiis feminarum propter Angelos.

Te Deum laudamus. 12.

FERIA TERTIA.

Infra Octavam Sancti Angeli Custodis.

In secundo Nocturno.

Sanctus Bernardus in festivitate Sancti Michaelis.

Lectio iv.

Hic est funiculus triplex, quo de cælo cælorum habitaculo ad consolandos, ad visitandos, ad adiuvandos nos, attrahitur supereminens charitas Angelorum, propter Deum, propter nos, propter seipos. Propter Deum utique, cujus tanta erga nos misericordiae viscera ipsi quoque imitantur. Propter nos, in quibus propriam similitudinem miserantur. Propter seipos, quorum ordines instaurandos ex nobis toto desiderio prestatolant. In ore enim parvulorum, qui lacte modo vescuntur, & nondum solido cibo, perficienda est laus illa majestatis Divinae, cujus habentes primitias Angelici spiritus, beatà delectatione fruuntur: sed tanto avidius nos expectant, quanto consummationis ejus expectatione & expeditione sollicitantur.

R. Vivit ipse Dominus. clxvii.

Lectio v.

Quæ cum ita sint, pensate etiam, quantà nobis sollicitudine opus est, ut dignos nos exhibeamus eorum frequentia, & eo modo conversemur in conspectu Angelorum, ne fortè sanctos offendamus obtutus. Vae enim nobis, si quando provocati peccatis & negligentis nostris, indignos nos judicaverint presentia & visitatione sua, ut jam necesse habeamus & nos plangere, & dicere cum Propheta: Amici mei, & proximi mei adversum me appropinquaverunt.

vè-

verunt, & steterunt; & qui juxta me erant, de longe steterunt, & vim faciēbant, qui quærēbant animam meam. Elongātis nimirum eis, quorum præsētia protēgere nos, & propulsare poterat inimicum.
R. Angelus Dōmini. clxviij.

Lectio vij.

Quod si tam necessariam habemus familiaritatem dignationis Angelicæ, cavēnda nobis est eorum offensā, & in his maxime exercēdum, quibus eos novimus oblectari. Sunt enim plurima, quæ eis placent, & quæ in nobis invenire delectat, ut est sobrietas, castitas, paupertas voluntaria, crebri in cælum gemitus, & orationes cum lacrymis & cordis intentione. Attamen super omnia hæc unitatem & pacem a nobis exigunt Angeli pacis. Econtrā verò nihil æquē offendit, & ad indignationem provocat eos, quomodo dissensiones & scādala.

R. In omni tribulatione. clxviij.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 18.

In illo tempore: Accesserunt discipuli ad Jesum, dicētes: Quis putas, major est in regno cælōrum? Et reliqua.

Homilia S. Joānis Chrysostomi.
Ex variis in *Matth. locis Hom. 18.*

Verū mundo à scādalis. Mundum istum, terrēnum locum dicit: neque verò de cælo & terra intelligere debemus mundum, sed mundum hic intelligamus terrēnum; ideò quod dixit Dōminus: Regnum meum non est de isto mundo: si essem de mundo, amaret me mundus. Et dicitur ad Apōstolos: Vos non estis de mundo.

R. Machabæus. clxviij.

Lectio viij.

Verū igitur mundo, hoc est, terrēno loco, à scādalis: necesse enim est ut veniant scādala: non quia necesse, sed quia mundo necesse ut veniant. Vidēte quod dicimus, subtile est: si necesse est ut veniant scādala, ergo absque culpa est ille, per quem venit scādalum.
R. Tu Dōmine. clxix.

Lectio ix.

Sed nos dēimus, scādalum non venit nisi in terrēno mundo. Vis tibi non venire scādalum? noli esse terrēnus. Propterea dico, mundus terrēnus scādalum habet, terra ista necesse est ut habeat scādalum: noli portare terrēnum, sed cœlestem, & scādalum non habebis. Verūramen vā hōmini illi, per quem scādalum venit.

Te Deum laudamus. 12.

FERIA QUARTA.

Infra Octavam Sancti Angeli Custodis.

Sanctus Hilarius in *Psalm. 137.*

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

In conspectu Angelōrum psallam tibi. Parum sibi existimat Propheta esse, ut hominibus tantum præsētibz psallat: quia homines corporalium tantum negotiorum officia inspiciunt: in eo enim quod psallit, motum complacitæ operationis Deo ostēdit. Non ergo quæ vidētur in corpore, cerni desiderat, sed ea quæ spiritualiter naturæ spirituales continent, gerere festinat. Scit enim sub specula Angelōrum vitam omnem mōresque agere, & ubique hæc divinōrum ministrōrum auxilia fidelibus cunctis assistere, ut scriptum est: Præest Angelus Dōmini in circuitu timentium eum.

R. Vivit ipse. clxviij.

Lec-

Lectio v.

Legem etiā Moysi in manu Mediatoris per Angelos fuisse depositam, docet Apōstolus. Necnon & Elisæus absolutissimè docuit, humanas infirmitates Angelōrum auxiliis defendi, & in omnibus periculis, si fides maneat in nobis, adesse spiritualium virtutum defensionem. Nam cum rex Syria capere Geth urbem, in qua idem Propheta Elisæus esset, pararet, & nocturnis itinēribz exercitum suum, qui antelucanus urbem obsideret, destinasset, puer Elisæi conspēctā obsidione, dixit: O Dōmine, quid faciemus? Et dixit: Noli timere: quia plures sunt nobiscum, quam cum illis.

R. Angelus Dōmini. clxviij.

Lectio vi.

Et oravit Elisæus ad Dōminum, & dixit: Adaperi Dōmine oculos puēri huius, ut videat: & aperuit Dōminus oculos puēri, & vidit. Et ecce mons erat plenus equis, & cōrribus in gyro Elisæi, & descenderunt ad eos. Tantus & tam nobilis Propheta solus contemplatione auxiliōrum spiritualium dignus est. Sed oratio ejus ad Deum, visum incorporalium etiā puero suo meruit. In horum igitur assistentiū humanis auxiliis Angelōrum conspectu psallat Propheta, simplicibus spiritualium operum contemplatione placitūrus.

R. In omni tribulatione. clxviij.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 18.

In illo tempore: Accesserunt discipuli ad Jesum, dicētes: Quis putas, major est in regno cælōrum? Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.
Tom. 1. in festivo. S. Michaelis, Serm. 11.

Audistis, fratres, Evangelicam lectionem adversus eos, qui pusillos scandalizant, satis terribiliter intonantem. Nemini blanditur Veritas, neminem palpat, nullum seducit, aperte denuntians, quoniam vā hōmini illi, per quem scādalum venit: expedit ei, ut suspendatur in collo ejus mola asinaria, & pro suavi jugo, & levi onere Salvatoris, gravi mole terrēne cupiditatis humeris ejus imposita, demergatur in profundum maris hujus magni, & spatiōsi manibus, quod est sine dubio sæculum nequam. Perire siquidem necesse est hōinem, qui charitatem non habet, etiam si tradiderit corpus suum ita ut ardeat: & hoc dixerim, fratres, ut in ea charitate & unanimitate, & pace, in qua statis in Dōmino, solliciti sitis perseverare, & abundare magis.

R. Machabæus. clxviij.

Lectio viij.

Quæ est enim spes nostra, & gladius nostrum, & corona gloriæ? Nonne unitas & unanimitas vestra, in qua gaudeo vos invenire fraternitatis amatoris, & ante omnia mutuum in vobismetipsis charitatem habentes, quod est vinculum perfectionis? In hoc enim cognoscunt omnes, etiam Angeli sancti, quod Christi estis discipuli, & quætionem habueritis ad invicem. Denique potest hinc quoque fraternæ dilectionis utilitas magnificè commendari. Numquid enim Christi gratia diligemur ab Angelis, si de mutua dilectionis inopiā cognoverint nequāquam ejus non esse discipulos? Numquid diligemur ab aliis propter nos ipsos, id est, spiritualis naturæ similitudinem, si invenimur non diligere humanæ naturæ nostre

tra

træ consortes? imò verò, si ex eis quæ inter nos sunt contentiõibus, carnales nos magis quam spirituales esse constiterit?

R. Tu Dõmine. clxix.

Lectio ix.

Denique numquid Angeli diligunt nos propter seipsos, & futuram de nobis civitatẽ suæ re-
tauratiõem, si (quod absit) unum, quo solo uniri & coedificari eis possumus, defuerit glutinum charitatis? Quomodò sperabunt reedificandos de nobis perpétuos civitatẽ illius muros, si cognoverint, si viderint, nos non lapides esse vivos, qui possint invicem coherere; sed magis pulverem, quem proicit ventus à facie terræ, quem unus verbi flatus in turbinem excitet, & suspiciõis cuiuslibet levissima aura dispergat? Et hæc quidem dixisse sufficiat, pro eo quod ait Dõminus: Si quis scandalizaverit unum de pusillis istis.

Te Deum laudamus. 12.

FERIA QUINTA.

Infra Octavam Sancti Angeli Custodis.

In secundo Nocturno.

Sermo Sancti Augustini Episcopi.

Lib. 9. Civit. cap. 22.

Lectio iv.

Angelis bonis omnis corporaliũ temporaliũque rerum scientia vilis est, non quod eorum ignari sint, sed quòd illis Dei, quã sanctificantur, charitas cara est. Præ quod non tantum incorporali, verùm etiã incommutabili & ineffabili pulchritudine, cuius sancto amore inardescunt, omnia quæ infra sunt, & quod illud est, non sunt, sequè ipsos intra illa contemunt, ut ex toto, quod boni sunt, eo bono, ex quo boni sunt, perfruantur.

R. Vivit ipse Dõminus. clxvij.

Ibidem lib. 10. cap. 7.

Lectio v.

Angeli in cœlestibus seditibus constituti immortales & beati, qui Creatõris sui participatiõne gaudent, cuius aternitate firmi, cuius veritate certi, cuius munere sancti sunt, quoniam nos mortales & miseros, ut immortales beatissimos, misericorditer diligunt, nolunt nos sibi sacrificare, sed ei, cuius & ipsi nobiscum, se sacrificium esse novèrunt.

R. Angelus Dõmini. clxvij.

Lectio vi.

Ibidem.

Cum ipsis sumus una civitas Dei, cui dicitur in Psalmo: Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei; cuius pars in nobis peregrinatur, pars in illis opitulatur. De illa quippe superna civitate, ubi Dei voluntas intelligibilis atque incommutabilis lex est, de illa superna quodammodo curia (geritur namque ibi cura de nobis) ad nos ministrata per Angelos sancta Scriptura descendit.

R. In omni tribulatione. clxvij.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum

Matthæum.

Lectio vij.

Cap. 18.

In illo tempore: Accesserunt discipuli ad Jesum dicentes: Quis putas major est in regno cœlorum? Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

Tom. 1. in festivit. S. Michaelis.

Jam verò quem non moveat quod sequitur in Evangelio: Si oculus tuus scandalizaverit te, erue eum? Numquid enim corporalem hunc oculum monemur eruere, aut unam ex manibus istis, similiter & unum abscondere pedem? Absit à nobis hujusmodi carnalis omnino & nimis ridiculosa cogitatio.

R. Machabæus. clxvij.

Lec-

Lectio viij.

Porrò triplex fieri scandalum istud quotidiano nobis nosse licet experimento. Interdum enim est in nobis spiritalis intentiõis oculus simplex, & qui gratiæ magis quam noster dicendus sit; sed scandalizat nos oculus noster, & qui verè à nobis est, dum voluntas nostra aliam minus castam importunè ingerit intentiõem; sed habemus super hoc salubre consilium Salvatoris: Erue eum, inquit, & projice abs te. Hoc autem fiet, si non consentias, si abjicias, si resistas. Simili modo de manu ac pede est intelligendum.

R. Tu Dõmine. clxix.

Lectio ix.

Cum autem bonis operibus intentos, ad alia opera trahere voluntas propria conatur, manus nostra est, quæ scandalizat nos; sed abscondi debet, & projici à nobis, ut non ei consentiamus. Sic etiã proficere in sancta conversatiõne, & ascendere per gradus scale, quæ Jacob apparuit, ac juxta quod ait Psalmista, de virtute in virtutem patitur à pede quodam pusillanimitatis & negligentie nostre, qui nimirum descendere magis, ac remissius ire conatur; sed abscondi eum necesse est, ut pes gratiæ, qui stat in directo, currere possit sine offensione, sine scandalo, sine impedimento.

Te Deum laudamus. 12.

FERIA SEXTA.

Infra Octavam Sancti Angeli Custodis.

In secundo Nocturno.

Sanctus Bernardus in festivitãte Sancti Michaelis.

Lectio iv.

Dignum est, ut gloriã Angelorum non capientes, tanto

magis amplectamur misericordiam, quã nimirum constat nihilominus abundare domesticos Dei, cœli cives, Principes Paradisi. Testatur enim Apostolus, qui raptus ad tertium cœlum beatæ illi curiæ meruit interesse, atque ejus nosse secretã: quoniam omnes administratorii sunt spiritus, missi in ministerium propter eos, qui hereditatem capiunt salutis. Neque id cuiquam incredibile videatur, quandoquidem ipse quoque Creator, & Rex Angelorum venit non ministrari, sed ministrare, & animam suam dare pro multis.

R. Vivit ipse Dõminus. clxvij.

Lectio v.

Ministrant Angeli, sed de alieno, offerentes Deo bona opera, non sua, sed nostra, & nobis ejus gratiam referentes. Unde & Scriptura dicit: Quoniam ascendit fumus aromatatum in conspectu Dõmini de manu Angelorum: sollicitè præmisit, data ei fuisse incensa multa. Nostros enim sudores, non suos; nostras, non suas lacrymas offerunt Deo; nobis quoque ejus munera referunt, non sua. Non sic minister ille sublimior cunctis, sed humilior universis, qui semetipsum obtulit sacrificium laudis, qui Patri offerens animam suam, nobis ministrat usque hodiè carnem suam.

R. Angelus Dõmini. clxvij.

Lectio vi.

Hujus itaque tanti ministri gratiã, nihil mirum si dignanter nobis, imò & libenter Angeli sancti ministrent. Ipsi enim amant nos, quia nos amavit Christus. Dicitur certè vulgari proverbio: Qui me amat, amat & carnem meum. Non verò, o beati Angeli, catelli sumus Dõmini illius, quem tanto affectu diligitis. Catelli, inquam, cupientes saturari de micis, quæ cadunt de

men-

mensis dominorum nostrorum, qui estis vos. Et haec dixerim, fratres, ut ampliore de cetero erga beatos Angelos fiduciam habeatis, ac proinde familiaris in omni necessitate vestra illorum invocetis auxilia; sed & digne in eorum praesentia conversari, & magis ac magis eorum vobis conciliare gratiam, captare benevolentiam, exorare clementiam studeatis.

R. In omni tribulatione. clxvii.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthaeum.

Lectio vij. Cap. 18.

In illo tempore: Accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes: Quis putas, major est in regno caelorum? Et reliqua.

Homilia Sancti Joannis Chrysostomi. Ex Homilia 60. in Matthaeum.

Videte, ne contemnatis unum de parvulis istis. Parvulus non aetate, sed multorum aestimatione appellavit, pauperes, inquam, ignotos, caeterosque hujusmodi, quos multi contemnunt, qui revera parvuli non sunt; cum Creatoris omnium amici sint: quos ipse multo magis venerabiliores facit, dicens: Quia Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in caelis est. **R.** Machabaeus. clxvii.

Lectio vij.

Hinc manifestum est, quia omnes Sancti Angelos habeant. Apostolus etiam ait de muliere, quoniam velamen debeat habere in capite propter Angelos: & Moyses: Statuit fines, inquit, Gentium secundum numerum Angelorum Dei. Hic vero non de Angelis simpliciter dicitur, sed de Angelis excellentibus atque supremis. Nihil enim aliud designatur, cum faciem, dicit, Patris mei aspiciunt, quam summa

fiducia eorum, & honor precibus. **R.** Tu Domine. clxix.

Lectio ix.

Vides, quot quibusque rationibus ad modestiam, & ad eorum tenuiorum fratrum nos revocet? Infantem in medio statuit, & dixit: Efficiamini sicut parvuli: & quicumque talem susceperit parvulum, me suscipiet, & quicumque hunc scandalizaverit, extrema luet supplicia, & scandalizantes homines, etiam si loco manuum atque oculorum nobis essent, abscondere jussit. Angelorum quoque auctoritate, qui hos tenues fratres tutantur, ut eos veneremur, impellit. Te Deum laudamus. 13.

S A B B A T O

Infra Octavam Sancti Angeli Custodis.

In secundo Nocturno.

Sermo Sancti Ambrsii Episcopi. Sermone 1. de Eliseo.

Lectio iv.

Hostium tumultus bellicosus minime timere debemus, nec quamlibet numerosam hostium multitudinem formidare. Quoniam, sicut ait Apostolus, major est qui in nobis est, quam qui in mundo: hoc est, potentior est ad protegendum famulos suos Christus, quam diabolus ad instigandos inimicos: quamvis enim idem diabolus colligat sibi turbas, & crudelli eas armet insania, tamen facile destruuntur: quia melioribus populum suum Salvator circumdat auxiliis. Ait enim Propheta: Immittet Angelum Dominus in circuitu timentium eum, & eripiet eos. Quod si Angelus Domini timentes eum de periculis eripit, non potest timere barbarum, qui timuerit Salvatorem.

R. Vivit ipse Dominus. clxvii.

Idem

Idem in Epist. ad Hebr. cap. 1.

Lectio v.

Quid miraris, si Filio ministerium exhibent Angeli, cum etiam nostrae salutis ministros eos constet effectos? Filius tamen sicut Dominus salvat: isti vero sicut servi salutem praedestinatorum deserviunt. Intellige igitur, quantum honor nobis existit, ad quos sicut ad amicos, ita ministros, Angelos suos destinat Deus.

R. Angelus Domini. clxvii.

Idem in Psalm. 37.

Lectio vi.

Qui juxta me erant, de longe steterunt: ne mysticus quidem pietatis abhorreat affectus, ut pro Angelis dixerit, qui pretendunt timentibus Dominum, ut eripiant eos de tentationibus, quas ferre non possunt. Quomodo ergo longe stant, qui ad adjumentum sunt attributi? sed non illi se separant, sed qui urgeatur tentationibus, putat eos longe abesse, quos proprius sibi adesse desiderat, & arbitratur dissimulare, cum illi adjuvandi tempus non sui Imperatoris expectent, qui athletam suum, quo gloriosius vinceret, diutius certare praecipit. **R.** In omni tribulatione. clxvii.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthaeum.

Lectio vij. Cap. 18.

In illo tempore: Accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes: Quis putas, major est in regno caelorum? Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi. Ex Homilia 59.

Curiose, inquit, scrutamini vos quis vestrum major sit, & de primatum honore contenditis. Ego autem, si quis humilior se caeteris non effecerit, ipso ingressu caelesti omnino indignum assero.

Recte autem ante oculos monstratione parvuli totam rem posuit, ipso aspectu eos convertens, ac persuadens, ut absque simulatione aliqua humilitatem amplectantur.

R. Machabaeus. clxvii.

Lectio viii.

Parvulum autem non invidere, nec inanem expectare gloriam, nec primatus desiderare dignitatem noverunt; sed maxime hanc virtutem possident, puram dico simplicitatem, & humilitatem. Non ergo fortitudine tantum, ac prudentia, sed humilitatis quoque virtute, & simplicitate nobis opus est; quae si non adest, salus nostra certe claudicat. **R.** Tu Domine. clxix.

Lectio ix.

Parvulum autem aetate, & quidem, mea sententia valde parvulum, qui ab omnibus esset passionibus liber, in medio statuit; illa enim aetas omni arrogantia, omni gloriae inanis furere, omni livoris insania, omni contentiosis cupiditate, caeterisque hujusmodi affectibus immunit est. Cumque praecipuis muniatur virtutibus, simplicitatis scilicet ac humilitatis, de nulla istarum superbit, ita duplice philosophia ornatur.

Te Deum laudamus. 12.

DOMINICA II.

Septembris.

Dies Octava Sancti Angeli Custodis.

Duplex.

Lectiones primi Nocturni, de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis.

Ex Sermone 12. super Psalm. Qui habitat.

Lectio iv.

Angelis suis mandavit de te. Mira dignitas, & vere magna dilectio charitatis: Quis enim? quibus? de quo? quid mandavit? studio-

diosè considerémus, fratres, diligenter commendémus memoriæ hoc tam grande mandatum. Quis enim mandavit? cujus sunt Angeli? cujus mandatis obtémperant? cujus obediunt voluntati? Nempè Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. Nec cunctantur, quin etiam in manibus tollant te. Summa ergo Majestas mandavit Angelis; & Angelis suis mandavit, illis utique sublimibus, tam beatis, tam proximè sibi cohærentibus, tam familiariter sibi adhærentibus, & verè domesticis Dei mandavit de te. Tu quis es? Quasi verò non sit homo putredò, & filius hominis vermis.

R. Vivit ipse Dóminus. clxvii.

Lectio v.

Sed quid putas mandavit de te? Numquid scripsit contra te amaritudines? Numquid ut contra folum, quod vento rapitur, ostendant potentiam suam, & stipulam siccam persequantur? Numquid ut tollant impium, ne videat glóriam Dei? mandatum istud est, non mandatum. Itaque Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te. Pretiosum depositum nobis commiserat, fructum crucis suæ, pretium sanguinis sui; non est contentus custodia hac tam parùm tutà, tam parùm utili, tam fragili, tam insufficienti. Super muros tuos Jerusalem constituit custodes, nempè etiam ipsi qui videntur muri, aut in muro ipso columnæ, his custodibus egent & maxime.

R. Angelus Dómini. clxvii.

Lectio iv.

Quam tibi debet hoc verbum infèrre reverentiam, affèrre devotiònem, confèrre fiduciam? Reverentiam pro presentia, devotiònem pro benevolèntia, fiduciam pro custodia. Cautè ambula,

ut videlicet, cui adsunt Angeli, sicut ei mandatum est, in omnibus viis tuis. In quovis diversorio, in quovis angulo, Angelo tuo reverentiam habe. Tu ne audeas illo presente, quod vidèntem me non auderes. Ceterum etsi tam parvulus sumus, & tam magna nobis, nec modò tam magna, sed & tam periculosa via restat, quid tamen sub tantis custodibus timeamus? Nec superari, nec seduci, minis autem seducere possunt, qui custodiunt nos in omnibus viis nostris. Fideles sunt, prudentes sunt, potentes sunt, quid trepidamus? tantum sequamur eos, adhareamus eis, & in protectione Dei cœli commoremur.

R. In omni tribulatione. clxvii.

In tertio Nocturno, Lectio vij. & vij. ut in die festi.

Lectio nona de Homilia Dominiæ occurrentis, cujus fit Commemoratio in Laudibus & utrisque Vesperis.

Si dies Octava, Sancti Angeli Custodis incidit in Festum Nativitatis B. Mariæ Virginis, fit de B. Mariæ Virgine, cum Commemoratio diei Octavæ Sancti Angeli Custodis.

DOMINICA III.

Septembris.

Festum Septem Dolorum B. Virginis Mariæ.

Duplex.

Celebrandum Dom. III. Septembris in omnibus Statibus Augustissimæ Domus Austriacæ, juxta Decretum Clementis XII. die 28. Augusti 1734.

Omnia ut in Proprio Festorum Hispanorum, inense Septembris.

DIE XXII. SEPTEMBRIS.

In Festo beatæ Mariæ de Soccos, diocæs de Cervellon, Virginis, Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum.

Duplex.

Pro omnibus tam Secularibus quam

Re-

Regularibus omnium Regnorum & Provinciarum Imperatrici subjeccarum.

Omnia ut in Proprio Festorum Hispanorum. die xxv.

DIE X. OCTOBRIS.

In Festo S. Ludovici Bertrandi, Confessoris.

Duplex.

Omnia ut in Proprio Festorum Hispanorum. die xj.

DIE XXIV. OCTOBRIS.

In Festo S. Raphaelis Archangeli.

Duplex.

Pro omnibus Hispanorum Regi subjectis.

Omnia ut in Proprio Festorum Hispanorum.

DIE XXXI. OCTOBRIS.

In Festo S. Wolfgangi Episcopi Ratisponensis.

Duplex.

Pro tota Germania.

Omnia de Comuni Confessoris Pontificis. xj. præter ea, quæ sequuntur.

Oratio.

Deus, qui nobis æternæ salutis beatum Wolfgangum Episcopum ministrum tribuisti: præsta quæsumus; ut quem doctorem vitæ habuimus in terris, intercessorem habere mereamur in cœlis. Per Dóminum, &c.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Wolfgangus nobilis in Suèvia genere prognatus, rerum exterarum fuit & sui contemptor egregius, solum ex animo Deum querens, honores amplissimos ab Henrico Trevirénsium Episcopo sibi oblatos recusavit, illòque demortuo pollicitationibus aliorum contemptis, monasticam tandem vitam, cu-

Pars Æstiva.

jus semper desiderio flagraverat, est amplexus. Sacris Ordinibus a beato Udalrico initiatus, cum in Pannoniam prædicandi Evangélii causâ se prius contulisset, propter conjunctam in eo eximia cum pietate prudentiam, Othonis Imperatoris studio rotiusque Cleri & populi acclamatione, Ecclesiæ Ratisponensium rite præficitur.

R. Inveni David. xlv.

Lectio v.

Suscépto Episcopatus múnere gregem Dómini verbo pavit & exemplo, sanctissimisque Ecclesiæ temperavit institutis. Monasterio Sancti Emmerani, quod jam diu Episcopi administraverant, restituitis provèntibus, magno illius bono insignem virum Romualdum præposuit. Sanctimonialium Cœnobium, quod ipse fundaverat, tam sanctè instituit, ut collapsa in aliis disciplina eo exemplo sit faciliè restaurata, novoque pietatis odore capta Brigida, Baviaræ Ducis filia, Sponsum Christum secuta ad sacras se Virgines aggregavit. Bohemis, quo ampliòra apud illos fides incrementa caperet, contempto suæ Ecclesiæ detrimento, rejectis aliorum consiliis, proprium dari Episcopum libentissimè permisit.

R. Posui adjutorium. xlvj.

Lectio vi.

Egrègiam viri sanctitatem comprobant energumèni, & variis languoribus oppressi, quos preceatione sanavit Divino afflatus instinctu, Sanctum Henricum Imperatorem regnatorum, fratrem ipsius Brunonem ad Episcopatum promotum iri, e sororibus alteram Reginam, Abbatissam alteram fore prædixit. Denique cum viginti & amplius annis in sedulo

Coo

Pas-

Pastoris munere peractis, extremum sibi diem imminere intelligeret, qua ex usitata liberalitate supererant, per manus pauperum praemisit, sacraque Eucharistiae viatico praemunus, in Sancti Othomari aede, uti divinitus antea futurum acciperat, sanctissimam vi-

tam pari morte conclusit, Ratisponae in templo Sancti Emmerani sepultus.

R. Iste est, qui ante Deum. xlvj.

In tertio Nocturno, Homilia S. Hilarii Episcopi in Evangelium Vigilante, quia nescitis. de eodem Communi. lj.

OFFICIUM SS.^{MI} SACRAMENTI.

Quod Feria v. ejusque Hebdomadae extra tempus Adventus, Quadragesimae, & Vigiliarum non impedita Officio novem Lectionum etiam translato, fieri potest sub ritu Semiduplici ab omnibus, qui in Regnis suae Majestatis, Dominis, ac Status hereditariis Augustissimae Domus Austriae ad Horas Canonicas tenentur, ex concessione Clementis XI

Omnia dicuntur ut in Festo Corporis Christi; sed in R.R. ad Matutinum, R.R. brevibus Horarum, v. v. ad Magnificat & Laudes non debent recitari Alleluia, nisi sit tempus Paschale.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

Lectiones vero secundi & tertii Nocturni dicuntur ordine infrascripto.

MENSIBUS MAJO ET JUNIO.

Sermo & Homilia Feriae secundae infra Octavam.

MENSIBUS JULIO ET AUGUSTO.

Sermo & Homilia Feriae tertiae infra Octavam.

MENSIBUS SEPTEMBRI ET OCTOBRI.

Sermo & Homilia Feriae quartae infra Octavam.

MENSE NOVEMBRI.

Sermo & Homilia de ipsa die Octava.

OFFICIUM CONCEPTIONIS B. MARIE VIRGINIS,

Quod Benedictus XIII. quodlibet Sabbato anni (extra Adventum, Quadragesimam, Sabbata Vigilium, & Quatuor Temporum) non impedito Festo novem Lectionum etiam translato, ritu Duplici recitari concessit universo Clero Seculari & Regulari, in omnibus Regnis, Dominis, & Ditionibus Cæsareæ Majestatis subjectis extra Italiam.

AD VESPERAS,

Antiphona. Conceptio gloriöse, cum reliquis de Laudibus xxxvij. Psalmi consuerti de Sancta Maria, ut in Officio Parvo. cxvj.

Capitulum. *Eccli 24. b*

AB initio, & ante sæcula creata sum, & usque ad futurum sæculum non desinam, & in habitatio-
ne sancta coram ipso ministravi.

Hymnus. Ave maris stella. cxxxvj. **V.** Conceptio Sanctæ Mariæ Virginis. **R.** Cujus vita inelyta cunctas illustrat Ecclesias.

Ad Magnificat, Antiphona. Gloriöse Virginis Mariæ Conceptionem dignissimam recolamus, quæ & Genitricis dignitatem obtinuit, & virginalem pudicitiam non amisit.

Oratio.

FAmulis tuis, quæsumus Domine, cœlestis gratiæ munus impertire: ut quibus beatæ Virginis partus exiit salutis exordium, Conceptionis ejus votiva Commem-

moratio pacis tribuat incrementum. Per Dominum, &c.

Ad Matutinum, Invitatorium. Conceptionem Virginis Mariæ celebramus: * Christum ejus Filium adoremus Dominum. **Psalmus.** Venite, exultemus. 2. **Hymnus.** Quem terra, Antiphonæ & Psalmi Nocturnorum, ut in ejus Officio parvo. cxxij.

In primo Nocturno.

V. Spécie tuâ & pulchritudine tuâ. **R.** Intende, prospere procede, & regna.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

R. i. Concepta est beatâ Virgo Maria ex progénie David: * Per quam salus mundi credentibus apparuit, cuius vita gloriôsa lucem dedit sæculo. **V.** Conceptionem beatæ Mariæ Virginis cum gaudio celebramus. Per quam. **Benedictio.** Unigenitus Dei Filius.

R. ij. Beatissimæ Virginis Mariæ Conceptionem devotissime celebramus: * Ut ipsa pro nobis intercedat ad Dominum Jesum Christum. **V.** Cum jucunditate Conceptionem beatæ Mariæ Virginis devotissime ce-

lebrémus. Ut ipsa. **Bened. Spiritus sancti gratia.**

R. iij. Gloriöse Virginis Mariæ Conceptionem dignissimam recolamus, * Cujus Dominus humilitatem respexit, quæ Angelo nuntiante concepit Salvatorem mundi. **V.** Beatissimæ Virginis Mariæ Conceptionem devotissime celebramus. Cujus Dominus. Glória Patri. Cujus Dominus.

MENSIBUS MAJO ET JUNIO.

In secundo Nocturno.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis.

Lectio lv.

Serm. in cap. 12. Apocalypsis.

Novum fecit Dominus super terram, ut mœlier circumdaret virum, nec alium quam Christum, de quo dicitur: Ecce vir, Oriens nomen ejus. Novum quoque fecit in cœlo, ut mœlier sole appareret amicta. Denique & coronavit eum, & vicissim ab eo meruit coronari. Egredimini filie Sion, & videte regem Salomónem in diademate, quo coronavit eum mater sua. Verum hoc alias. Interim sanè ingredimini magis, & videte Reginam in diademate, quo coronavit eam Filius suus. In capite, inquit, ejus, corona stellarum duodecim.

R. Conceptio gloriöse Virginis Mariæ, ex semine Abrahamæ, orta de tribu Juda, clara ex stirpe David, * Cujus vita inelyta cunctas illustrat Ecclesias. **V.** Hodie concepta est beatâ Virgo Maria ex progénie David. Cujus.

Lectio v.

Dignum planè stellis coronari caput, quod & ipsis longè clariùs micans, ornet eas potius,

quàm ornètur ab eis. Quidni coronent sidera, quam sol vestit? Siccut dies verni circumdabant eam flores rosarum, & lilia convallium. Nimirum læva sponsi sub capite ejus, & jam dextera illius amplextur eam. Quis illas astimet gemmas, quis stellas nòminet, quibus Mariæ regium diademate compactum est?

R. Cum jucunditate Conceptionem beatæ Mariæ celebramus: * Ut ipsa pro nobis intercedat ad Dominum Jesum Christum. **V.** Corde & animo Christo canamus gloriám in hac sacra solemnitate præcelsæ Genitricis Dei Mariæ. Ut.

Lectio vj.

Quid ergo sidereum micat in generatione Mariæ? Planè quod ex regibus orta, quod ex semine Abrahamæ, quod generosa ex stirpe David. Si id parum videtur, adde quod generationi illi ob singulare privilegium sanctitatis divinitus nòscitur esse concessa, quod longe antè eisdem patribus cœlestis reprobmissa, quod mysticis præfigurata miraculis, quod oraculis prænuntiata propheticis. Hanc enim sacerdotális virga, dum sinè radice floruit: hanc Gedeonis velus, dum in médio sicæ areæ maudit: hanc in Ezechiélis visione orientális porta, quæ nulli unquam patuit, præsignabat.

R. Conceptio tua, Dei Genitrix Virgo, gaudium annuntiavit universo mundo: * Ex te enim ortus est sol justitiæ, Christus Deus noster: * Qui solvens maledictionem, dedit benedictionem: & confundens mortem, donavit nobis vitam sempiternam. **V.** Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Ex te enim. Glória Patri. Qui solvens.

MENSIBUS JULIO
ET AUGUSTO.

In secundo Nocturno.

Ex libro Sancti Epiphaniæ Episcopi
adversus hæreses.

Lectio iv.

Lib. 3. hæresi 78. post medium.

Beata Mater Dei Maria per Hevam significatur, quæ per ænigma accepit, ut mater viventium vocetur. Illa etenim mater viventium vocata est etiam, postquam audivit: Terras, & in terram revertêris, post transgressionem. Et mirum est, quod post transgressionem hoc magnum cognomen habuit. Et quod quidem pertinet ad rem sensibilem, ab illa Heva omnis hominum generatio deducta est in terra: hic autem verè à Maria hæc vita mundo genita est, ut viventem gigneret, & fieret Maria mater viventium. Per ænigma igitur Maria mater viventium appellata est.

R. Conceptio gloriosæ Virginis Mariæ ex semine Abrahamæ, ortæ de tribu Juda, clara ex stirpe David, * Cujus vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias. **V.** Concepta es beata Virgo Maria ex progenie David, Cujus.

Lectio v.

Hæc datum est operire corpus sensibilem propter nuditatem sensibilem: Maria verò datum est à Deo ut pareret nobis Agnum & ovem, & ex gloria ipsius Agni & ovis, fieret nobis velut à vellere in sapientia per virtutem ipsius indumentum incorruptibilitatis. Heva etiam mortis causa facta est hominibus, per ipsam enim mors ingressa est in mundum: Maria verò causa vite, per quam genita est nobis vita, & per hanc Filius Dei advēnit in mundum: & ubi abundavit peccatum, ibi superabundavit & grātia: & undè illata est mors,

illinc processit & vita, ut vita pro morte fieret: & qui per mulierem nobis vita factus est, mortem ex muliere indictam excluderet. Et quoniam illic Heva, cum adhuc esset virgo, per inobediētiā transgressa est: e contrario per virginem obediētiā grātia facta est, annuntiatio advēntu in carne de cælo, & vita æterna.

R. Cum jucunditate Conceptionem beate Mariæ celebramus: * Ut ipsa pro nobis intercedat ad Dominum Jesum Christum. **V.** Corde & animo Christo canamus gloriam in hac sacra Commemoratione præcellens Genitricis Dei Mariæ. Ut ipsa.

Lectio vi.

DE Maria accipitur (liceat mihi hoc dicere) quod scriptum est de Ecclesia: Relinquet homo patrem suum & matrem suam, & adherēbit uxori suæ: & erunt duo in carne una. Sanctus autem Apostolus dicit: Mystērium hoc magnum est, ego autem dico in Christo & Ecclesia: Et vide Scripturārum accuratam dicēdi proprietatem, quod de Adam quidem dixit, formavit de Heva verò: non formātam esse, sed edificātam. Accēpit enim, inquit, unam de costis ejus, & edificavit ipsi in uxorem. Quo ostēdat, Dominum quidem de Maria efformasse sibi ipsi corpus; ab ipsa verò costā edificātam esse Ecclesiam, in eo quod punctum & apertum est ipsius latus, & mysteria sanguinis, & aquæ, prætia redemptionis facta sunt.

R. Conceptio tua, Dei Genitrix Virgo, gaudium annuntiavit universo mundo: * Ex te enim ortus est sol justitiæ, Christus Deus noster. * Qui solvens maledictionem, dedit benedictionem: & confundens mortem, donavit nobis vitam sempiternam. **V.** Benedicta tu in mulieribus, &

& benedictus fructus ventris tui. Ex te enim Glória Patri. Qui.

MENSE SEPTEMBRI

ET OCTOBRI.

In secundo Nocturno.

Ex Epistola Sancti Ambrōsii Episcopi ad Siricium Papam.

Lectio iv.

Epist. 81. al. 7.

DE via perversitatis produntur dicere: Virgo concēpit, sed non virgo generavit. Pōtuit ergo virgo concipere, non pōtuit virgo generare, cum semper concēptus præcedat, partus sequatur? Sed si doctrinis non creditur sacerdotum, credatur oraculis Christi, credatur mōntis Angelorum dicentium: Quia non est impossibile Deo omne verbum. Credatur Symbolo Apostolorum, quod Ecclesia Romāna intermeratūm semper custōdit & servat. Audivit Maria vocem Angeli, & quæ antè dixerat: Quomōdò fiet istud: non de fide generationis interrogans, respondit postea: Ecce ancilla Domini, contingat mihi secundum verbum tuum.

R. Conceptio gloriosæ Virginis Mariæ ex semine Abrahamæ, ortæ de tribu Juda, clara ex stirpe David, * Cujus vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias. **V.** Concepta est beata Virgo Maria ex progenie David, Cujus.

Ex libro Sancti Hieronymi Presbyteri adversus Jovinianum.

Lectio vi.

Ex Apol. ad Pammachium, pro Lib. advers. Jovinianum, in fin.

Christus virgo, mater virginis nostri virgo perpētua, mater & virgo. Jesus enim clausis ingressus est ostiis, & in sepulchro ejus, quod novum & in petra durissima fuerat excisus, nec antea quis, nec postea pōsitus est. Hortus conclusus, fons signatus: de quo fon-

te ille fluvius manat juxta Jos. qui irrigat torrentem vel finium, qui spirarum: finium peccatorum, quibus antè alligabamur: spirarum, quæ suffocant semēntem patrisfamilias. Hæc est porta orientalis, ut ait Ezechiel, semper clausa, & licida, operiens in se, vel ex se proferens Sancta sanctorum, per quam sol justitiæ & Pontifex noster secundum ordinem Melchisedech ingreditur & egreditur.

R. Cum jucunditate Conceptionem beate Mariæ celebramus: * Ut ipsa pro nobis intercedat ad Dominum Jesum Christum. **V.** Corde & animo Christo canamus gloriam in hac sacra solemnitate præcellens Genitricis Dei Mariæ. Ut ipsa. Ex libro Sancti Irenæi Episcopi & Martyris adversus hæreses.

Lectio vi.

Lib. 5. Cap. 19.

In sua propria veniente Domino, & sua propria eum bajulante conditione, quæ bajulatur ab ipso, & recapitulatiōnem ejus quæ in ligno fuit inobediētiæ per eam, in ligno est, obediētiā faciente; & seductiōne illa soluta, quæ seducta est malè illa, quæ jam viro destinata erat virgo Heva, per veritatem evangelizata est bene ab Angelo jam sub viro Virgo Maria. Quomādmōdum enim illa per Angēlicum sermōnem seducta est, ut effugeret Deum, pravariicata verbum ejus: ita & hæc per Angēlicum sermōnem evangelizata est, ut portaret Deum, obediens ejus verbo. Et sicut illa seducta est, ut effugeret Deum, sic hæc suscipit obediētiā Deo, ut Virgine Heva Virgo Maria fieret advocata. Et quem admodum adstrictum est morte genus humanum per virginem, solvatur per virginem: æqua lance disposita virginis inobediētiā, per virginalem obediētiā.

Ooo 4

R.

R. Conceptio tua, Dei Génitrix Virgo, gaudium annuntiavit universo mundo: Ex te enim ortus est sol justitiæ, Christus Deus noster: Qui solvens maledictionem, dedit benedictionem: & confundens mortem, donavit nobis vitam sempiternam. *v.* Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Ex te enim. Gloria Patri. Qui solvens.

MENSE NOVEMBRI.

In secundo Nocturno.

De Expositione Sancti Gregorii Pape in libros Regiorum.

Lectio IV.

Fuit vir unus de Ramathaim-sophim, de monte Ephraim. Potest hujus montis nómme beatissima semper Virgo Maria; Dei Génitrix, designari. Mons quippe fuit, que omnem elsetæ creaturæ altitudinem electionis suæ dignitate transcendit. An non mons sublimis Maria, quæ ut ad conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritòrum verticem supra omnes Angelorum choros, usque ad solum Deitatis erexit? Hujus enim montis præcellentissimam dignitatem Isaias vaticinans, ait: Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium. Mons quippe in vertice montium fuit, quia altitudo Mariæ supra omnes Sanctos refulsit.

R. Conceptio gloriosa Virginis Mariæ ex semine Abrahamæ, ortæ de trību Juda, clara ex stirpe David.

Cujus vita inelyta cunctas illustrat Ecclesias. *v.* Hódie concepta est beata Virgo Maria ex progeie David. Cujus.

Ex Epístola Sancti Leonis Pape ad Pulcheriam Augustam.

Lectio V. Epíst. 13. ante med.

Sacramentum reconciliationis nostræ ante tempora æterna

dispositum, nulle implébat figuræ: quia nondum supervenerat Spiritus sanctus in Virgínem, nec virtus Altissimi obumbraverat ei; ut & intra intemerata viscera, ædificante sibi Sapientia domini, Verbum caro fieret, & formâ Dei ac formâ servi in unam conveniente personam, creator tempotum nasceretur in tempore, & per quem facta sunt omnia, ipse inter omnia gigneretur. Nisi enim novus homo, factus in similitudinem carnis peccati, nostram susciperet vetustatem, & consubstantialis esse dignaretur & matri, naturamque sibi nostram solum à peccato iter uniret; sub jugo diaboli generaliter teneretur humana captivitas.

R. Cum juvenitate Conceptionem beate Mariæ celebrémus: Ut ipsa pro nobis intercedat ad Dominum Jesum Christum. *v.* Corde & animo Christo canamus gloriam in hac sacra solemnitate præcelsæ Genitricis Dei Mariæ. Ut ipsa.

De Expositione S. Basilii Episcopi in Isaiam Prophétam.

Lectio VI.

In cap. 8. post init.

Accessi, inquit, ad prophetissam, & in utero accepit, & peperit filium. Quòd Maria prophetissa fuerit, ad quam proxime accessit Isaias per prænotionem spiritus, nemo contadixerit, qui sit memor verborum Mariæ, quæ prophético afflata spiritu, elocuta est. Quid enim ait? Magnificat anima mea Dominum; & exultavit spiritus meus in Deo salutari meo: quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quòd si animum accommodaveris universis ejus verbis, non itaque contentiosè negaveris eam fuisse prophetissam, quòd Domini spiritus in eam supervenerit, &

& virtus Altissimi obumbraverit ei. *v.* Conceptio tua, Dei Génitrix Virgo, gaudium annuntiavit universo mundo: Et te enim ortus est sol justitiæ, Christus Deus noster: Qui solvens maledictionem, dedit benedictionem: & confundens mortem, donavit nobis vitam sempiternam. *v.* Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Ex te enim. Gloria Patri. Qui solvens.

MENSIBUS MAJO ET JUNIO.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Mattheum.

Lectio VII.

Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham. Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Jacob. Et reliqua.

De Homilia S. Hilarii Episcopi.

Comment. in Matth. can. 1.

Non refert, quis in originis numero atque ordine collocetur, dummodo universorum familia cæpta esse intelligatur ab uno. Itaque cum ejusdem tribus sit Joseph & Maria, dum profectus esset ex Abraham genere Joseph ostenditur, profecta quoque docetur & Maria. Hæc enim in lege ratio servata est, ut si mortuus sine filiis familia princeps esset, defuncti uxorem posterior frater ejusdem cognationis acciperet, susceptoque filios in familiam ejus, qui mortuus esset, referret: maneretque ita in primogenitis successions ordo, cum patres eorum, qui post se nati essent, aut nómme haberentur, aut genere.

Beatam me dicent omnes generationes: Quia fecit mihi Dominum magna qui potens est, & sanctum nomen ejus. *v.* Et misericordias ejus à progénie in progénies tributibus eum. *Benedict.* Cujus fes-

tum colimus, ipsa Virgo virginum.

Lectio VIII.

Sequens illud est, ut quia diximus secundum fidem generationis illius ordinem nec numero sibi nec successione constare; hujus quoque rei ratio afferatur. Non enim levis causa est, ut aliud in narratione sit, aliud fuerit in gestis, & aliud referatur in summa, aliud vero teneatur in numero. Namque ab Abraham usque ad David quatuordecim generationes numeratæ sunt; & à David usque ad transmigracionem Babylonis in quibusdam libris decem & septem deprehenduntur. Sed in hoc non mendacii, aut negligentie vitium est. Tres enim ratione præterite sunt. Nam Joras génitè Ochoziam: Ochozias verò genuit Joam: Joas deinde Amasiam: Amasias autem Oziam: & in Mattheo Joras Oziam genuisse scribitur, cum quartus ab eo sit. Hoc ita, quia ex gentili femina Joras Ochoziam genuit, ex Achab scilicet, qui Jézabel habuit uxorem. *v.* Felix namque es sacra Virgo Maria; & omni laude dignissima: Quia ex te ortus est sol justitiæ, Christus Deus noster. *v.* Ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto femine sexu: sentiant omnes tuum juvenam, qui cumque edebant tuam sanctam Conceptionem. Quia ex te. Gloria Patri. Christus.

Lectio IX.

Denique per Prophétam non nisi quarta generacione in throno régio Israelis quemquam de domo Achab esse sessurum dicitur. Purgata igitur labe familie gentilis tribus, que præteritis jam réguis in quarto generacionum consequentium ordine numeratur, & usque ad Mariam generationes quatuordecim esse scribuntur, cum in

numero decem & septem reperian-
tur, nullus error esse poterit sciën-
tibus non eam solum esse Dominò
nostro Jesu Christo originem, quæ
cepit ex Maria: sed in procrea-
tione corporea, nativitatís ætér-
næ significantiã comprehendí.
Te Deum laudamus. 13.

MENSIBUS JULIO
ET AUGUSTO.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evángelii secun-
dum Matthæum.

Lectio vij.

Cap. 1.

Liber generatiõnis Jesu Christi
filii David, filii Abraham.
Abraham genuit Isaac. Isaac autem
genuit Jacob. Et reliqua.
Homilia S. Joannis Chrysostomi.

Hom. 2. in Matth. post initium.

Auditum quidem mirabile est, quod
ineffabilis Deus, & qui nec
sermõnibus explicari potest, nec
cogitacionibus comprehendí, Patri-
que per omnia cõxquãlis, per Vir-
ginis ad nos venit úterum, & fi-
eri ex muliere dignatus est, & ha-
bere progenitores David & Abra-
ham: & quid dico, David, &
Abraham? etiam illas, quod magis
stupendum est, feminas, quas pau-
lo antè memoravi. Hæc igitur au-
diens mente consurge, nihique hu-
mile suspicèris, sed potiùs propter
hoc ipsum maxime mirare, quia
cum verus & dilectus filius sit sem-
piterni Dei, etiam filius David es-
se dignatus est, modo ut te filium
faceret Dei: servum patrem ha-
bere dignatus est, ut tibi servo
patrem faceret ipsum Deum.

Beatam me dicent omnes gene-
rationes: Quia fecit mihi Domi-
nus magna qui potens est, & sanc-
tum nomen ejus. Et misericor-
dia ejus à progenie in progenies ti-
mentibus eum. Quia. **Benedictio.**

Cujus festum cõlimus, ipsa Virgo
virginum.

Lectio vij.

Vides ab ipso statim principio,
quàm læta sint hæc nuntiã.
Quod si ambigis de his, quæ ad
tuum spectant honorem, ab his, quæ
illius sunt, etiam tua discere cre-
dere. Quantum enim consequi pos-
test humana ratio, multo est diffi-
cilius Deum hominem fieri, quàm
hominem Dei Filium consecrari.
Cum ergo audieris, quia Filius
Dei, filius sit & David, & Abra-
hæ: dubitare jam desine, quod &
tu, qui filius es Adæ, futurus sis
filius Dei. Non enim semetipsum
ita humiliasset, nisi nos esset exal-
taturus. Natus est enim secundum
carnem, ut tu nascerere spiritum
natus est ex muliere, ut tu desine-
res filius esse mulieris.

Felix namque es sacra Virgo
Maria, & omni laude dignissima:
Quia ex te ortus est sol justitiæ,
Christus Deus noster. Ora
pro pòpulo, interveni pro clero,
intercede pro devoto femine sexu:
sentiant omnes tuum juvenem, qui-
cumque celebrant tuam sanctam
Conceptionem. Quia ex te. Glòria
Patri. Christus. **Benedictio.** Ad so-
cietatem.

Lectio ix.

Propterea duplex facta generã-
tio est, hæc scilicet nostræ si-
milis, illam nostram eminenter ex-
cedens. Quod enim natus ex femi-
na est, & nobis cõmpetit: quod ve-
rò non est sanguine, neque ex vo-
luntate carnis aut viri, sed ex Spi-
ritu sancto, aliam nobis sublimiõ-
rem, futuramque & spiritu conse-
quendam generatiõnem promittit.
Sed alia quoque omnia ex simili
diversitate constabant. Nam & bap-
tisma profecto tale suscepit, quod
haberet quidem aliquid veteris, ha-

bè-

bèret & novi. Quod enim baptiza-
tus est à Propheta, expressit vetus;
quod autem descendit Spiritus,
adumbravit novum.

Te Deum laudamus. 12.

MENSE SEPTEMBRI
ET OCTOBRI.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evángelii secun-
dum Matthæum.

Lectio vij.

Cap. 1.

Liber generatiõnis Jesu Christi
filii David, filii Abraham.
Abraham genuit Isaac. Isaac autem
genuit Jacob. Et reliqua.
De Homilia S. Joannis Chrysostomi.

Unde supra paulò post.

Cujus vero rei gratia librum ip-
sum generatiõnis Christi vo-
cat, ubi non sola utique generatio,
sed tota prorsus ipsius mysterii dis-
pensatio continetur? quia totius
scilicet dispensatiõnis caput, radix
atque principium omnium nobis in
hoc consistit bonorum. Ut enim Mõy-
ses librum cœli appellavit ac terre,
cum certe non de cœlo solum terra-
que loqueretur; sed de cunctis qua
inter ipsa subsistunt: ita etiam Evan-
gelium ab ipso omnium fonte & ca-
pite bonorum librum vocavit.

Beatam me dicent omnes gene-
rationes: Quia fecit mihi Domi-
nus magna qui potens est, & sanc-
tum nomen ejus. Et misericor-
dia ejus à progenie in progenies ti-
mentibus eum. Quia. **Benedictio.**
Cujus festum cõlimus, ipsa Virgo
virginum.

Lectio vij.

Qua vero de causa non eum an-
tè filium Abraham, & postea
filium David nuncupavit?
Non sicut opinantur aliqui, ab in-
ferioribus volens ad superiora cons-
cendere. Caterum fecisset quod fe-
cit & Lucas: nunc autem è contra-
rio facit. Cur ergo commemoravit

priorem David? Quia ipse procul-
dubio in omnium versabatur ore,
ob insignem honoris & gloriæ, ob
ipsius quoque tẽporis spãtia juncti-
ora. Etsi enim utriusque promiserat
Deus, sed tamen illud quasi anti-
quum reticebatur, hoc vero quasi
novum & recens ab omnibus cele-
brabatur.

Felix namque es sacra Virgo
Maria, & omni laude dignissima:
Quia ex te ortus est sol justitiæ,
Christus Deus noster. Ora
pro pòpulo, interveni pro clero, in-
tercede pro devoto femine sexu:
sentiant omnes tuum juvenem, qui-
cumque celebrant tuam sanctam
Conceptionem. Quia ex te. Glòria
Patri. Christus. **Benedictio.** Ad so-
cietatem.

Lectio ix.

Psi namque Judæi dicunt: Nonne
lex semine David, & Bethlehem
castello, ubi erat David, venit Chris-
tus? Nemo igitur illum filium Abra-
hæ, sed omnes filium David nomi-
nabant, qui etiam honorabiliores
quosque de sanctitate Reges, qui
post David fuisse referuntur, ab illo
omnes vocabant. Nec ipsi solum,
verum etiam Deus: Nam & Eze-
chiël & alii Propheta dicunt: Da-
vid surrecturum esse eis, atque ven-
turum, non de illo utique mortuo
jam loquentes, sed de eis, qui illius
virtutem erant imitaturi. Propterea
igitur à notiore interim, & cele-
bratiore persona sumit exordium;
& tum demum ad antiquiorem re-
currit parentem.

Te Deum laudamus. 13.

MENSE NOVEMBRI.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evángelii secun-
dum Matthæum.

Lectio vij.

Cap. 1.

Liber generatiõnis Jesu Christi
filii David, filii Abraham.
Abra-

Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Jacob. Et reliqua.

Homilia Sancti Joannis Chrysostomi.

Unde supra paulo post.

Duo sunt, quæ pariunt questionem. Unum quæ causa sit, ut in generationum catalogo Virgo silëatur: alterum vero, quæ ratio- ne Joseph memoratur, cui certè nihil cum Christi generatione est commune. Videtur enim & unum abundare, & alterum deesse. Quid ergo dicemus? quod utique primum illud necesse fuerit memorari, quemadmodum ex David Virgo descenderit. Unde hoc itaque dicemus? Audi ad Gabriël loquentem Dominum: Vade ad Virginem desponsatam viro, cui nomen Joseph, ex domo & familia David. Quid vis audire manifestius, cum ex domo & familia David illam Virginem esse cognoscas?

R. Beatum me dicent omnes generationes: * Quia fecit mihi Dominus magna qui potens est, & sanctum nomen eius. **V.** Et misericordia eius à progenie in progenies timéntibus eum. Quia.

Lectio viii.

Non erat us apud Hebræos generationum catalogum per feminas texere. Ut ergo & morem custodiret, neve in ipso statim principio videretur antiqua destrui, & nobis Virginem certis indicaret; paréntes ejus réticens atque majores, de Joseph generatione non tacuit. Sive enim hæc fecisset in Virgine, novitatis non effugisset invidiam, sive Joseph reticisset, non agnosceremus ex qua tribu Virgo subsisteret. Ut ergo nos discernemus, quæ esset Maria, vel unde, & consuetudo legis permaneret immobilitas, generationum catalogum usque ad sponsum ejus perduxit, ac de do-

mo illum David esse monstravit. **R.** Felix namque es sacra Virgo Maria, & omni laude dignissima: * Quia ex te ortus est sol justitiæ, * Christus Deus noster. **V.** Ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto femineo sexu: sentiant omnes tuam juvamen, quicumque celebrant tuam sanctam Conceptionem. Quia. Gloria Patri. Christus.

Lectio ix.

Hoc enim declarato, illud quod quæ pariter ostendit, quod scilicet inde esset & Virgo: quia utique nequaquam justus ipse pateret uxorem sibi aliunde, quam undè lex præcipiebat, eligere. Põsumus verò aliam quoque & altiorem quidem proferre rationem, ob quam paréntes Virginis prætermisisti sunt. Sed quæ ea est? Nõluit Evangelista recenti adhuc tempore novi illius admirandique partus Judæis esse manifestum, quod Christus natus fuisset ex virgine. Neque proprius noster hic sermo est, sed à nobis de Patrum atque insignium virorum traditione susceptus.

Te Deum laudamus. 12.

AD LAUDES,

& per Horas, Antiphona.

Conceptio gloriosa Virginis Mariæ ex semine Abrahamæ, ortæ de tribu Juda, claræ ex stirpe David. **Psalmus.** Dominus regnavit, cum reliq. 14. **Antiphona.** Conceptio Sanctæ Mariæ Virginis, cujus vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias. **Antiphona.** Regali ex progenie Maria exorta refulget: cujus precibus nos adjuvari mente & spiritu devotissime pòscimus. **Antiphona.** Corde & animo Christo canamus gloriam, in hac sacra commemoratione præcelsæ Genitricis Dei Mariæ. **Antiphona.** Cum juvinitate Conceptionem beatæ Mariæ celebr-

brèmus, ut ipsa pro nobis intercedat ad Dominum Jesum Christum.

Capitulum. Ab initio, ut supra.

Hymnus.

O Gloriosa Virginum,
Sublimis inter sidera,
Qui te creavit parvulum
Lactente nutris ubere.
Quod Heva tristic abtulit,
Tu reddis almo germine,
Intrent ut astra flébiles,
Cœli recludis cardines.

Tu regis alti janua,

Et aula lucis fulgida:

Vitam datam per Virginem
Gentes redemptæ plaudite.

Jesu, tibi sit gloria,

Qui natus es de Virgine,

Cum Patre, & almo Spiritu
In sempiterna sæcula. Amen.

V. Conceptio Sanctæ Mariæ Virginis. **R.** Cujus vita inclyta cunctas

illustrat Ecclesias.

Ad Benedictus, Antiphona.

Conceptionem perpétuæ Virginis Genitricis Dei Mariæ solèmniter celebrèmus, quia celsitudo throni processit, alleluia.

Oratio. Famulis tuis, quæsumus Dòmine, ut supra.

Per Horas Antiphonæ Laudum, Capitula, & VV. & RR. brevia, ut in Officio B. M. in Sabbato. cxj.

In secundis Vesperis, omnia ut in primis Vesperis.

Ad Magnificat, Antiphona.

Conceptio tua Dei Genitrix Virgo gaudium annuntiavit universo mundo: ex te enim ortus est sol justitiæ, Christus Deus noster: qui solvens maledictionem, dedit benedictionem: & confundens mortem, donavit nobis vitam sempiternam.

Et sic commemor. Dominicæ.

**PROPRIUM
FESTORUM,
QUÆ**

IN HISPANIA

**EX APOSTOLICA CONCESSIONE,
NOVISSIMISQUE DECRETIS,**

TUM GENERALIBUS, TUM PARTICULARIBUS S. R. C. CELEBRANTUR

ACCURATE DISPOSITUM,

juxtà Ordinem & Ritum, quo generaliter de ipsis recitatur,

A R. P. M. F. VALENTINO ROMERO,

*Abbate Regii Monasterii B. M. V. Montis-Serrati Matritensis
Ord. S. Benedicti.*

PARS ÆSTIVA ET AUTUMNALIS.



MATRITI: M.DCC.XCVII.

TIPIS SOCIETATIS.